

Grammatica Linguae Ksanka.

INTRODUCTIO.

Hoc parvum opus est introductio quaedam ad grammaticam linguae ksanka. Opus ita comparatum est, ut qui legit quam citissime ingrediatur penetralia linguae. Quapropter licet, quoad potuit, servatus sit ordo et distinctio partium et rerum, nihilominus nexum idearum sequuti visum est coniungere potius cum etymologia quam ab ea separare quae ad syntaxim pertinent, ac connulla adumbrare et praeoccupare extra proprium locum, quae postea in suis locis plenius explicata reperientur. Haec eo consilio facta sunt, ut et quae afferentur exempla ad doctrinam declarandam melius intelligantur, et regulae facilius memoriae imprimantur, et expeditius ad aliquo modo loquendum qui legit perducatur. Incipimus ergo ad instar introductionis ab exhibendo brevissimum prospectum declinationum verborum.

DE DECLINATIONE VERBI.

Verba ksanka possunt dividi in tres classes, secundum desinentiam quam dum declinantur assumunt in modo indicativo. Omnia verba in numero plurali modi indicativi desinunt in *-i* vel *-ni*. (Nota. Lineola (-) praeposita alicui particulae alicuius vocabuli indicat particulam esse suffigendam, si vero lineola iaceat post particulam, signum erit particulam esse praefigendam.) In numero autem singulari desinentia triplex est, et secundum triplicem desinentiam triplex est classis verborum.